

9760

DE EO 1761, 2a

No: 70  
3

QVOD IVSTVM EST IN RED-  
DENDO MUTVO IN CASV SI  
MONETAE MUTATIO MEDIO TEM-  
PORE FACTA EST

PROLVSIO AVSPICALIS

RECITATIONIBVS SVIS TAM PVBLICIS QVAM PRIVATIS  
VI-MVNERIS DEMANDATI PER INSTANS SEME-  
STRE AESTIVVM HABENDIS  
PRAEMISSA

CHRISTIAN. FRID. IMMAN. SCHORCH

IVR. VTR. DOCTORE ET PROFESSORE PVBL. EXTRAORD. NEG  
NON ELECTORAL. MOGVNT. ACADEMIAE SCIEN-  
TIAR. VTIL. SOCIO ORDINARIO.



ERFORDIAE, TYPIS HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR.

167

*[Mirrored bleed-through text from the reverse side of the page, appearing as faint, inverted characters.]*



Circumspicienti mihi argumentum, quo rei, cuius causa hanc scripitionem adorno, praefarer, suggestit se quaestio de eo quod iustum est in reddendo mutuo in casu, si valor nummorum tam internus quam externus interim mutatus est. Arripui hanc materiam hoc lubentius, quo magis ad usum non hodiernum solum, sed praesentissimum etiam ad commodata mihi visa est. Neque enim hoc quidem tempore frequentius quidquam non tantum in privatorum circulis & congressionibus auditur, quam querelae de monetae vilitate: sed & forum iudiciaque ipsa litium ex eadem causa suscitatarum multitudine redundant, dum debitores sortem olim acceptam in leuiore moneta, quae nunc in usu est, obtrudere. Creditoribus intendunt, hi contra



recipere eam recusant, vel saltim summam ampliorem exposcunt. Neque vero adeo facile esse huius modi lites dirimere existimari debet, propter graues & multiplices Ictorum summorum dissensus. Si enim vlla in re, certe in hac, maxima inter Iurisperitos cernitur discordia, & paene dixerim confusio, siquidem perpauci in principiis inuicem consentiunt, & qui etiam consentiunt, in adplicatione tamen rursus diuersas tenent vias, vel principiis, quae recte & vt decebat, stabiliuerunt, contraria exempla subiiciunt. Quorum scripta qui curiosius perlegerit, & inuicem contulerit, nae illi fere semper eueniet, quod Demiphoni apud TERENTIUM 1) aduocatos in eausa sua consulenti, vt exclamare cogatur:

. . . . . fecistis probe,  
incertior sum multo, quam dudum . . . . .

Constitutum itaque nobis est, in sequentibus quid de proposita confragosa quaestione nobis videatur, breuiter & dilucide exponere, quamque sententiam & legibus & acuitati conuenientiore iudicemus, modeste indicare.

1) in PHORMIONE Act. II. scen. 4. vers. 18.

## §. II.

MVTUVM est contractus realis, quo res fungibilis alicui ita datur, vt eius fiat, isque vicissim obligetur, ad idem in genere restituendum. Quodli vsu hodiernum secutus, hunc contractum *consensualem* adpellare malueris, nobis perinde erit. Cognosci vero ex definitione hac satis potest, accipientem, siue debitorem *idem* in genere restituere teneri, quod IMP. IVSENIANVS 1) ita exprimit: non easdem res, quas debitor  
acce.

acceptit, sed alias eiusdem naturae & qualitatis reddi oportere, & POMPO-  
NIUS 2) in mutuo id agi pronuntiat, vt eiusdem generis & eadem bonitate  
soluatur, qua datum sit.

1) in *pr. l. quib. mod. re contrab. oblig.*

2) in *l. 3. n. de R. Cred. & in l. 80. n. de solut. TANTVNDEM restitui debere ad-  
ferit.*

### §. III.

MONETAM vocare solemus materiam varii metalli in certas par-  
tes diuisam & forma publica percussam, vt commerciorum commodita-  
ti inferuiat, eaque tanquam communi quadam mensura aestimari omnia  
possint 1). Duplex eius valor vulgo statui adsolet. Si enim respicimus  
tum ad genus & bonitatem metalli, tum ad pondus (Schrot und Korn)  
oritur inde *valor monetæ internus*; si vero consideramus vsualem aesti-  
mationem eius & valorem imposititium, siue vsu & potestatem mo-  
netæ (den Werth, die Würdigung, wie die Münze gang und gäbe ist)  
*valor externus* inde prouenit 2). Et hic externus plerumque intelligi-  
tur, si *valoris simpliciter* positi mentio occurrit.

1) vid. *l. 1. pr. n. de Contrab. Emt.*

2) vid. PUFFENDORFF *ius N. & Gent. L. V. cap. 7. §. 6.* WOLFF *Institut. iuris N.  
& Gent. §. 134 STRVV. Exercit. XVI. §. 29.* COCCEJ, *de Valore monetæ in  
Exercitat. Curiosar. Vol. 1. diff. 37. ib. 6.* BERLICH *P. II. conclus. XXXV. n. 4. 5.*

### §. IV.

Varias monetæ species habemus, quæ non omni tempore se-



cundum eandem bonitatem intrinsecam cufae sunt. Historiam monetariam Germanicam breuiter sed eleganter & accurate exposuit LEYSER 1). Pro diuersitate vero monetarum quoad bonitatem internam rerum pretia etiam variant. Obseruatum enim dudum est, & ipsa quotidiana experientia hoc abunde confirmat, perpetuam esse relationem inter valorem monetae internum & rerum omnium pretia. Si ille in deterius mutatur, haec crescunt; sin in melius decrescunt 2). Nec hoc aliter esse potest. Cum enim numus cum in finem inuentus sit, vt mensura rerum omnium sit (S. 3.), cumque pro numi materia metalla pretiosiora ideo electa sint, quia omnes gentes illis pretium peraeque statuunt: ipsa ratio ostendit, numo quoad bonitatem internam meliori plus mercium aestimari posse, quam numo quoad internam bonitatem deteriori. Nec valoris externi tanta in rerum pretia potestas est. Licet enim hic augeatur, nisi internus simul augebitur, non tamen plus mercium quam antea poteris comparare. Nam illi a quibus ea quae tibi desunt, emere cupis, non ideo monetam hanc vel illam cum rebus suis permutare volunt, quia hic vel ille valor externus illi adscriptus est; sed quia valorem internum aequalem putant rebus suis. At inquis, nummorum substantia tota in aestimatione, non vero in corpore vel materia consistit, consequenter valor, quem Princeps numo dat, erit potius mensura rerum comparandarum! Verum est, fateor, is penes quem est monetam cuedendi ius & potestas, potest valorem externum pro lubitu determinare, non tamen ideo vagam nimis omnisque limitis expertem licentiam talem proponere nobis debemus. Cum enim valor externus non nisi indicium & quasi testimonium publicum de interno esse debeat, & in omnibus bene ordinatis Rebuspubl. secundum receptam gentibus monetae





netae essentiam internus valor causa & fundamentum externi fit, id quod leges Imperii quoque obseruandum constanter praecipiant: sane dicendum primo videtur, licentiam illam valorem externum determinandi ita exercendam esse, vt ne proportio externi cum interno valore pereat. Deinde si Princeps etiam de facto internum valorem negligat, neminem tamen praeter subditos suos obligare potest, vt tales numos suscipiant, & ne hos quidem, nisi fingas eos nullius alterius indigos sibi solis sufficere. Vbi vero est illud regnum, quod commercio cum aliis prorsus carere potest? Exteri vero tales numos, quibus externus valor internum plus iusto excedens statutus est, libere adspernabuntur, vel certe pretium pro mercibus suis pacifcentur impensius. Quo secuto Princeps quoque subditis suis, nisi maximam illis iacturam inferre velit, liberum relinquere debet, pretia mercium suarum ab exteris comparatarum augere 3).

1) in *specim.* 529. *meditat.* 1. *seq.*

2) conf. BACHOV. *ad TREVTLER*, *Vol. I. disp.* 20. *ib.* 12. *lit. B.* & *Vol. II. disp.* 29. *ib.* 2. *lit. C. in fin.*

3) legas quae habet PUFFENDORFF *de iure N. & Gent. L. V. cap. 11 §. 14.* & COCCEJ. *de Valore Monetae ib.* 3. & 14.

#### S. V.

His pro praemunitione praemissis ad rem ipsam propius accedamus. In mutuo TANTVNDem, siue idem genus in eadem qualitate & bonitate reddi debet (§. 2.), quod si ad mutuum pecuniarium adplicamus, inde primo consequitur, *solutionem in eodem monetae genere facien-*  
*dam*



*dam esse, in quo olim debitor mutuum accepit, e, g, qui Ducatos accepit, vel Carolinos, vel thaleros foachimicos tales vicissim reddere tenetur. Vulgo quidem distingui non ignoramus vtrum pecunia vt *genus*, an vt *species* in mutuum deducta sit 1), & in posteriore duntaxat casu regulae nostrae locum relinquunt, sed nos non dubitamus simpliciter adferere (modo pactum ipsum non refragetur e. g, mille thaleros in Ducatis quis accipit & promisit hos mille an guten Müns = Sorten zu restituiren) debitorem audiendum non esse, qui diuersi generis monetam soluere vult, e. g, pro aureis nummos argenteos, pro argenteis aereos, pro thaleris minutam monetam.\* Nam eo ipso aliud pro alio solueret, & pro re debita eius aestimationem Creditori obruderet, quod tum naturae contractus tum ipsis LL. repugnaret, qui aperte pronuntiant, in mutuo etsi hoc verbis non sit expressum, tamen tacite saltem hoc agi intelligi, vt res mutuo data in eodem genere restituatur 2). Qui dissentiunt falso supponunt in mutuo pecuniario regulariter, nisi aliud pactum sit, aestimationem duntaxat deberi, adeoque utcumque alia monetae specie soluta, non aliud tamen, sed prorsus *idem* solui intelligi, modo reddatur ad eam quantitatem, quam quis accepit. Verum sicuti his jam §. *anteced.* respondimus, ita nunc addimus, tales non perpendere videri, ipsas LL. Romanas, quibus tamen potissimum freti, ita sentire solent, illis grauiter aduersari. Haec enim debitorem non esse cogendum in aliam formam nummos accipere, si Lex ea re damnum aliquod passurus sit 3), aperte pronuntiant. Quodsi soluenti in alia forma liberatio non contingit, qui potest adferi, in obligatione numerorum aestimationem tantum siue valorem externum spectandum esse? Hoc enim si foret, sufficeret, si debitor pecuniam eandem quantitate, licet non eandem forma redderet. Et  
stante*

stante illa sententia concipi non possent damna creditori inde obuentionia de quibus tamen lex loquitur. Et quid etiam ad debitorem damna creditoris? iure enim suo vteretur, & tantum solueret quantum acceperat, tantamque aestimationem, ad quam se obligauerat, restitueret, nihil sollicitus de damno Creditoris. Agnouit vim huius legis aduersus communem sententiam BYNKERSHOECK 4), sentiens probe, vulgares huius legis explicationes difficultatem non tollere, nec alio modo sententiam hanc communem, quam ipse sequitur, saluari posse iudicauit, quam si, lectione Hetrusca reducta, in citata lege loco *Creditorum* legatur *debitorem*. Sed hoc eius consilium non adeo multis, credo, adprobabitur. Nostra itaque sententia haec est. Licet non negauerimus, in mutuo pecuniario valorem externum siue aestimationem etiam adtendi debere, idque *tum* propter naturam huius contractus, iuxta quam non ipsa numerorum corpora accepta restituuntur, sed diuersa eiusdem generis, vnde necessario mensura aliqua opus est, ad cuius rationem restitutio fieri debet, *tum* propter vsuras, quas sibi stipulatur creditor, ad quas rite determinandas pecuniae datae aestimatio vtique requiritur: id tamen falsum esse persuasi sumus, si in numerorum obligatione vnice aestimationis rationem habere velis. Nisi enim internum valorem simul respicias, alter contrahentium grauiter laedatur necesse est, cum pretia rerum omnium in commerciis ad eam rationem habeant perpetuam (§. 4.), aequalitatem vero inter contrahentes custodiendam esse LL. Romanae non vno in loco praecipunt, & citata lex expresse cauet, solutionem *cum damno creditoris* fieri non debere. Merito quoque horum Dd. sententia ob id nobis suspecta videtur, quia non raro in aliis sibi contradicunt. Ita enim animaduertimus omnes statuere, illicitum hodieque esse



esse pactum, si quis credenti centum thaleros in moneta vulgari, promittat solutionem in centum thaleris Imperialibus, cum et hic adsit manifesta vsuraria prauitas, quae licet non in numero, in *qualitate* tamen numerorum latet §). Sed si in obligatione numerorum aestimationem tantum & quantitatem spectari necesse esset, non video, quare tale pactum *ob allegatam rationem* illicitum esse possit. Cum ergo hi in hoc casu qualitatem numerorum respiciendam esse praecipiant, quare non simpliciter & in vniuerso eam in mutuo pecuniario attendere permittunt?

• Ex dispositione Recessuum Imperii tamen hoc obtinere volunt Dd. vt debitor 25. flo. renos in miuta moneta soluere possit, non vltra tamen, vid. *Ordinat. Montiar Ferdinandi I §. II. et Recess. Imperii de a 1576. §. 76.*

1) De hac distinctione, quomodo intelligenda sit, ne in hac materia inepta videatur, conferatur FRANTZKIUS *Exercit. IX. §. 30.* BACHOV. *ad TREVT. Vol. II. Diff. 29. tb. 2.*

2) vid. l. 2. §. 1. & l. 3. π. de reb. cred. l. 16. & 17. C. de solut. pr. l. quib. mod. toll. obl. WESENBECK. Tit. de reb. cred. n. 12. circa fin. FRANTZKIUS *Exerc. IX. qu. 2. n. 27.* STVCK *Consil. XVII. n. 1-31.* RICHTER *Decis. 72. n. 9.* in medio. MENOCH *Consil. 258. num. 6.*

3) l. 99. π. de solut. Non ignoramus hanc legem in primis a dissentientibus pro sua sententia stabilienda citari. Inter ceteros AVERAN. *Interpretat. Iur. L. III. cap. 20. num. 17.* inde a contrario fortiter concludi posse putat: Ergo Creditor, si *damnum ex ea re non sentiat*, cogi potest numos in aliam formam accipere; & hoc est, quod defendunt, adde *cap. 12. num. 7. §.* Responderi his posset, argumenta a contrario, obseruantibus hoc Dd. in iure nostro minus tuta & infida esse, & ipsum Imp. Iustinianum in l. 21. C. de furt. talia argumenta vocare interpretationes per coniecturam. Sed ad haec confugere non opus est. Quid si simpliciter



citer negaremus, ex tali solutione Creditorem damnum non sentire? Quid si ad-  
 secremus, eum semper inde damnum pati? Certe nos quidem profus existi-  
 mamus, Dd, dum vulgo regulae suae quod nempe in diversa etiam moneta  
 solui possit, hanc limitationem subiiciunt: *nisi Creditor inde damnum sit*  
*passurus* vid. STRUV. Exerc. XVI. §. 26, 27. respice regulam suam euertere. Nam  
 semper & multis modis (quos vide ap. COLER de Process. Execut. P. I. cap. 101  
 n. 9.) Creditoris intererit solidam suam & grossam monetam, quam dedit, prae-  
 minuta. recipere.

4) in *Obsers. Jur. Rom. L. 1. C. 9.*

5) vid. *l. 11. §. 1. de R. C. add. STRYCK, Ps. mod. tit. de R. cred. §. 8. PHILIPPI*  
*Ps. pract. Inst. L. III. Eclog. 38. STRUV. Exerc. XVI. §. 25. LAVTERBACH,*  
*Colleg. Tit. de R. C. §. 34. BRVNNEMANN. ad cit. l. 11. n. 13.*

### §. VI.

Inde porro cognoscitur solutionem faciendam esse non solum in  
 eodem genere, sed & ita, vt *aeque bonum nobis reddatur mutuum, nec licere de-*  
*terioriorem monetam, licet ex eodem genere sit, reddere* 1). Iam vero hic re-  
 currit quaestio, vnde aestimanda sit bonitas numerorum? Sunt enim, qui  
 ex solo *valore externo* siue aestimatione eam metiri volunt 2), sunt qui  
 contra ex *valore interno* eam censeri praecipunt. Sed certe qui primi  
 sententiam illam priorem propugnarunt in felicioribus nostris temporibus  
 vixisse debuerunt, & si qui nunc ita sentiunt, hi eant & experiantur, an ea  
 quantitate pecuniae, qua ante quatuor vel sex annos, vbi moneta probior in  
 usu erat, victum & amictum emere potuerunt, eadem nunc etiam parare  
 eundem possint, vbi moneta minus proba utimur. Tam facile hos refutat  
 experientia! Sed cum semel iterumque in hanc quaestionem inciderimus,  
 operae pretium putamus, rationes quibus dissentientium sententia inniti-



tur hic simul breuiter perlustrare, vt illa tota cognita eo rectius iudicare queamus, praefertim cum disputatio omnis, quam in sequentibus inflituemus, nisi prius haec quaestio definita fuerit, irrita fere & inanis futura erit.

1) vid. l. 3. n. de R. C.

2) numerosa est ICtorum summorum familia, qui ita sentiunt vid. VINN. *Partit. Iur. L. II. Cap. 23.* HOTTOMANN *quaest. illustr. XV.* GONZALEZ TELLEZ *ad cap. 26. X. de Consibus s. 6.* BYNKERSHOEK *obs. Iur. R. L. 1. Cap. 9* WESTENBERG. *Opera T. II. Tit. de R. C. s. 41.* ROEHMER. *Introd. in Ius Digest. Tit. de R. C. s. 16.* ESTOR *de permissio & vetito collybo s. 71. 72. seq.* HAHN. *ad WESEMBECK. tit. de R. C. n. 12.* MENOCH. *Consil. 49. num. 39. 40.* maximo quoque adparatu ex recentioribus hanc sententiam propugnauit AVERANIVS in *L. III. Interpretat. Iur. cap. 10. 11. 12. 13.*

#### §. VII.

Primo adferunt pecuniae naturam, quae non ex corporibus & qualitate, sed ex quantitate & valore aestimaretur, quippe numos substantiam suam non ex materia, sed ex hominum instituto & publica lege accipere, & ideo quoque non ex auro & argento solum, sed ex plumbo quoque imo corio & charta cudi solere. Admitti hanc sententiam posse putamus, si sermo sit de pecunia, quatenus inter vnus Principis subditos vsum duntaxat habere debet, tunc enim restricte ad vnum regnum, imprimis amplum, quale Romanum erat, bonitas in sola aestimatione siue valore iure publ. illi attributo poni potest (§. 4.). At si vniuersalius pecuniam consideras, & quatenus vsum inter plures populos, inque eorum mutuis commerciis habere debet, aliter de ejus bonitate pronunciari debere sua sponte patet. Quod enim nisi foret, Hispani



pani querendi causam non habuissent de Gallis. Hi enim cum illis certam pecuniae summam ex pacto deberent, deteriorem cudendo monetam sibi consulere instituerunt, & suasu Cancellarii *de Prato* debitam pecuniam in hac prava moneta soluerunt, sed Hispani re comperta hos coegerunt, ut 40000 aureos supplementi loco eius, quod noua moneta deterior esset, adderent 1). Cumque nostra Germania ex territoriis pluribus, quorum alterum quoad Commercium carere nequit, constet, palam fit, in posteriori solum visione nos bonitatem nummorum considerare debere. Accedit, quod in Germania pro *vero* valore *externo* is demum haberi possit, qui respondet legibus Imperii monetariis publicis. Iam haec externum ad rationem interni imponendum esse, seuere praecipitur, intelligitur ergo in *vero* valore externo cognoscendo recurrendum esse ad internum, & proin pecuniae naturam in Germania indubitate non ex valore externo, sed interno potius aestimandam esse, & si qui nummi valorem externum interno maiorem inscriptum habent, illos de facto solummodo & per tolerantiam eum gerere 2). Addunt porro adesse liquida iuris decreta, quae in pecunia quantitatem non corpora aestimari iubeant, siquidem etiam nummos ob id in multis legibus inter *incorporales* res referri notissimum esset 3). Vt a posteriore incipiamus, inter omnes constat, pecuniam dupliciter considerari posse, quatenus ex auro argentove flata est, & contrectari potest, & quatenus in quantitate consistit, & animo solum concipitur; in priori casu corporalis, in posteriori incorporalis est. Leges itaque quae adlegantur, dum pecuniam ut quantitatem considerant, necessario quoque pro re incorporali eam habere debuerunt. Et in mutuo pecuniario quantitatis quoque rationem duci debere, ipsi iam ob causas (§. 5.) allegatas





gatas concessimus. Verum non sequi nobis videtur, quia in nonnullis legibus numi ut res incorporales spectantur, ergo corpora ipsa numerorum & qualitas necquidquam & profus non spectari debent. Plane non defunt etiam leges, in quibus numi ut res corporales considerantur 4). Ad ceteras autem liquidas, ut aiunt, leges quod attinet, non inficiamur in nonnullis earum, haud obscure id quod volunt, contineri indeque probari posse. Sed quidquid etiam sit, generaliter de his legibus ita pronuntiare non dubitamus, non posse earum apud nos rationem haberi, quia non quadrant ad nostrum statum a Romano diuersum. Nam constat diuissime iustam in Orbe Romano proportionem seruata fuisse inter valorem internum & externum, quo supposito nihil vel parum interest, vtrum in numerorum obligatione ipsa corpora & qualitatem, an vere valorem & quantitatem spectandam esse adseras; constat porro rarissime in Orbe Rom. & vix singulis seculis ut ipse ait HOTTOMANNVS 5) monetae mutationem contigisse, quam ob rem etiam in LL. Romanis numis *vna ubique potestas & certa & perpetua aestimatio* tribuitur 6); constat denique imperium Roman. utpote amplissimum sibi soli suffecisse. Quae omnia cum in Germania secus sint, necesse erit, ut dicamus, leges Romanas hac in materia vsum habere non posse. Tertio omnes potissimum vrgent *l. i. π. de contrab. Emt.* Sed primo lex haec non plane negat substantiam pecuniae consistere in materia, sed vtrumque tam materiam quam quantitatem, id est, aestimationem desiderat. Deinde PAVLVS pecuniae substantiam *comparatiue* solummodo, habito nempe respectu ad res, quas nobis pecunia comparamus, in aestimatione & quantitate ponit, quia nunc per pecuniam omnes res aestimantur 7). Adparet hoc clare ex *pr. est. l. vbi* ait: *olim non ita erat numus*, id est: olim non erat





erat differentia inter mercem & pretium, sed aurum & argentum vt aliae res pro rebus dabatur, & vt corpus cum corpore permutabatur; at nunc *mercibus* contradistinguitur pecunia & *pretium* vocatur. Tandem quoque, si quid perspicio, citata lex haec loquitur de nummo, qualis esse debet *ex instituto Gentium*, & tunc non potest non eius bonitas ex valore interno aestimari. Neque enim externa gens numum accipiet ideo, quia noster Princeps hunc vel illum valorem illi inscripsit, sed quia materiae tali & ponderi tali hoc pretium statuit. Necessè ergo semper est, vt in relatione ad gentes, si pecunia vsus, ad quem inuenta est habere debet, eius valor externus interno respondeat, vtque consequenter eius bonitas non ex quantitate & sola potestate, sed ex qualitate potius dimessenda sit. His conuenienter non sufficere dicendum erit, si is, qui aureos, quos *Louisd'or* vocamus veteres accepit, vellet reddere aureos tales hodiernos; nempe, quia hi non aequè boni sunt.

- 1) narrat hoc BVSSIERES *in historia Francica Tom. III. Lib. 16.*
- 2) conf. COCCEJ, *cit. diff. lib. 14, 15. 24.* & LAMPADIUS, de natura mutui ait: „simpliciores monetae naturam ignorare, & imaginibus impressis pretium adscribere. add. *Modest. PISTOR V. II. conf. 27. n. 47. 48. 59.*
- 3) videtis leges has citatas apud HOTTOMAN. *cit. quaest. illustr. XV.* & GODOFRED: *ad l. 93. n. de solut. & liberas.*
- 4) vide *l. 94. n. de solut.* vbi duplici hoc modo considerantur, *l. 46. n. de Condit. indeb. l. 13. §. 2. in f. & l. 14. n. de Reb. Cred. nec non §. 2. l. quibus alien licet;* vbi nummi vindicari dicuntur, quod non nisi corporalibus conuenit, & *pr. l. de Reb. Corp. & incorp.*

5) in



5) in *quaest. illustr. XV.* circa fin.

6) *vid. l. 3. π. de eo quod certo loco l. 3. π. de in lit. jur. l. 1. π. de Contrab. emi.*

7) *compara l. 42. π. de fideiuss.*

§. VIII.

Cum vero eueniat saepe, vt *vel* idem monetae genus plane non supersit, aut difficillime reperiri possit, *vel* si superest etiamnum, mutatum tamen aut vilius aut melius quoad internam bonitatem profset: quaestio exoritur, quid tunc iustum & aequum sit. De his duobus itaque casibus in sequentibus distributius differere necesse erit.

§. IX.

Quantum ad prius adinet, si nempe genus monetae, quod in obligatione est, amplius non extat, vel difficile reperiri potest, dubitare nos non sinunt iura, quin debitor liberetur praestando aestimationem eius in alia viú recepta moneta, id quod LEYSER eleganti exemplo thalerorum Slickiorum illustrat 1), Haec vero moneta, in qua solutio nunc fit, aut *eundem* habet valorem internum cum ea, quae in obligatione erat, aut *minorem* aut *maiolem*. Si *hoc* Creditor tanto minus accipiet, quanto moneta, in qua debitor solutionem praestat, melior est; si *illud* Creditor tanto plus accipiet, quanto moneta praesens deterior est; si *istud*, sufficiet eandem summam & quantitatem reddere, siue *tot* numero numos, quot olim dati sunt. Hoc enim ubi obseruas tantundem in eadem bonitate restituis. Generaliter & breuius dici potest, aestimationem monetae, quae in obligatione est, fieri debere *secundum bonitatem intrinsecam, qualis fuit tempore contractus* 2). Aestimatio enim vice rei fungi dicitur, noua itaque moneta, in qua debitor soluit, eandem natu-

naturam & bonitatem cum illa in cuius locum substituitur habere debet. Tempus vero contractus ideo inspici debet, quia non aliunde id quod acceptum est, quodque iam debet restitui, intelligi potest. Quodsi vero cum aliis ad valorem *externum* monetae, quae in obligatione est, respicere malis, potest etiam admitti, si dicas, aestimationem fieri debere *iuxta praesens tempus, siue tempus solutionis*, ita ut ex moneta noua, in qua soluis, tot soluas, quot sufficit ad valorem *externum*, quem moneta, quae in obligatione est, iam haberet, si adhucdum existeret, conficiendum 3). Nempe quia ratio monetae, quae in obligatione est, ad alteram nouam monetam in qua soluis, quoad bonitatem internam facillime vulgo ex valore illius externo cognosci potest. Nam si valorem externum praesentem monetae, quae in obligatione erat, consequor, perinde est, ac si monetam illam ipsam accipiam, cum pro accepta aestimatione, illam ipsam, si adhucdum existat, parare possim. Et sicuti Creditor moneta ipsa, quae in obligatione erat, restituta, praesentis temporis pretio fructur, ita rei aequipollentis restitutio quoque iuxta idem tempus non inique fieri poterit. Et re vera si rem ita desinias, ad bonitatem internam temporis contractus respicis. Nam si pro centum thaleris Slikiiis trecentos in hodiernis ternionibus ( $\frac{1}{3}$  Stücken) soluis, re ipsa tot thaleros soluis, quot bonitatem internam thalerorum Slikiorum referunt. Perinde ergo est, vtrum dicamus, aestimationem monetae, quae in obligatione est, fieri debere secundum *bonitatem internam, qualis fuit tempore contractus*, an vero secundum valorem *externum, qui est tempore solutionis*. Idem valere quoque debet in casu, si genus monetae, quod in obligatione est, extat quidem, sed propter varias causas e, g, quia Creditor ipse consentit, in alio & diuerso genere solutio fiat 4).

C

Tunc



Tunc enim similiter ad praesens tempus respici potest, & tantum solvendum, quantum ex moneta in qua solvitur, aequat valorem *externum* praesentem monetae, quae in obligatione erat. e, g, Ducati in obligatione sunt, solutio vero in ternionibus hodiernis ( $\frac{1}{3}$  teln) fieri debet, sufficit ergo, si debitor pro vno ducato quinque thaleros soluat. Nam tantum valorem externum vnus Ducatus iam habet.

- 1) in *Specim.* 529. med. 21. aliud exemplum habet COLER *Process. Execut. P. I. c. 10. num. 17.* de grossis Bohemicis, quos FERDINANDVS IMP. in gratiam alicuius Principis, vt praefecturam suam quandam oppigneratam redditus talibus grossis rehuere possit, de nouo eudi fecit add. l. 71. §. 3. de *Legat. I. l. 14. s. ult. de Leg. III. & arg. l. 8. C. de Condict. furt. COGCEJ. cit. dissert. ib. 29. & 30.*
- 2) consentit. IVS. CANON. *arg. cap. 20. & 26. X. de Censibus addas FACHINEI Con. trovers. p. I. L. II. cap. 10. de LYDOLEF obseruat. forens. 166. num. 3. STRUY. Exercit. XVI. §. 39. 35.*
- 3) Videtis l. 22. π. de R. C. l. 59. de *Verb. Obl. arg. l. 5. & l. 35. π. de Auro & arg. leg. TITIVM obseruat. 311. STRYCK. Vsf. Mod. tit. de R. C. §. 12. in f. BACHOV. ad Tr. V. II. diff. 29. ib. 2. lit. C. GAIL. obseruat. 73. n. 6.*
- 4) conf. THOMAS, *Not. ad π. tit. de solut.*

## S. X.

Posteriorius quod adinet, si nempe restitutio mutui in eodem genere fieri quidem potest, sed genus *mutatum* iam superest, res omnis ad quatuor respectus fere redit. Aut enim I. valor monetae internus accreuit, eodem manente externo; aut II. internus valor decreuit, eodem manente externo; aut III. valor externus creuit, manente interno; aut IV. externus decreuit manente interno.

\* Potest



\* Potest quidem valor internus & externus *simul* mutari, sed tunc non idem monetae genus manet, sed moneta *nova* fit, quae ad diversum genus referri debet. Quid vero obtineat, si solutio in diverso genere fiat, de eo iam §. 9. locuti sumus.

## § XI.

Vetus est inter Ictos & perplexa controuersia, qualem in his IV. casibus regulam tenere oporteat, & in specie, an magis ad *tempus contractus*, an vero ad *tempus solutionis* respici debeat? sunt, qui prius tempus at scisse obseruandum esse contendunt 1). Sunt, qui posterius tempus malunt 2). Sunt, qui distinguunt & in casu mutatae bonitatis *intrinsecae* tempus contractus in casu vero mutatae bonitatis *extrinsecae* ad solutionis tempus respicere praecipiunt 3). Sunt denique, qui rem totam absque vsu horum terminorum exponere malunt 4). Verum, si rem recte aestimamus, non necesse est, hos terminos plane repudiare. Ideo non dubitamus in eorum sententiam ire, qui tempus contractus custodiendum esse praecipiunt. Non enim solum naturae negotii apprime conuenit, vt *tempus contractus* semper obseruetur, quippe si aliter rem aestimare velles, accideret, vt Creditor non acciperet tantundem, sed vel plus vel minus; neque in eadem bonitate numos reciperet, qua dedit: sed & ipsum ius Romanum adprobare hoc videtur, certe iura multa Germaniae particularia idem admodum inculcant 5). Accedit, quod, vti nobis videtur, plures ex illis Dd. quos inter bonitatem internam & externam distinguere modo diximus, re vera idem nobiscum sentiant. Dicta enim eorum examinantes, & cum exemplis, quae regulis suis subiiciunt, comparantes, illud obseruauimus, eos confundere solutionem, quae in *eodem* monetae *genere* licet mutato fit, cum ea, quae in *diverso genere* fit, e, g, quando pro thaleris grossi vel





nummi albi soluuntur 6). Et certum sine dubio est, in hoc ultimo casu, habito respectu ad valorem externum monetae, quae in obligatione erat, *tempus solutionis* attendi debere, id quod ipsi (§. 9. *in fin*) adseruimus. Verum cum accurate rem tractando, hos duos casus quippe diuersos separare conuenientius sit, & nos proin hic de altero saltim casu, vbi in *eodem genere* solutio fit, solliciti sumus; patet dissensum apud plerosque nullum superesse.

1) STRAVCH. *Dissert. Iustinian.* XIII. *ib.* 10. STRVV. *Exerc.* 16. *ib.* 29. PHILIPPI *Vf. pract. Inst.* L. III. *eclog.* 39. GAIL II. *obs.* 36. CARPZOV. *L.* 5. *resp.* 93. RICHTER *Decis.* 72. n. 7. HERT *resp.* 486. n. 6. CARPZOV. *P. II. Const.* 28. *def.* 4 & 5. BRVNNEMANN *Cent.* V. *Decis.* 9. A WERNHER *select. obseruat. fo. remf.* T. I. *observ.* 169. cum *supplem.* nouo.

2) ESTOR *de permisso & vetito collybo* cap. 13. HOTTOMAN. *Quaest. illustr.* XV. COCCEJ. *Ius Controv.* Civ. tit. *de solut. & liberat. quaest.* V. HAHN *ad WESEMB.* tit. *de R. C.* num. 12. LYNCKER *Decis.* 1286.

3) BACHOV. *ad Tr. cit.* l. *ib.* 12. *lit. b.* in *f.* & *lit. C.* HOPP *ad pr. I. quib. mod. re contr. obl.* LYNCKER *Decis.* 1286. *iunct.* *Decis.* 1488. BEIER *post.* *ad I. tit. quib. mod. re contr. Oblig.* RICHTER *Decis.* 72.

4) vid. THOMAS. *in. Notis ad π. tit. de solut. & liberat.*

5) vid. l. *fo. π. de solut.* l. 3. *π. de R. C.* Constitutionem Electoralem Saxon. apud CARPZOV. *p. II. const.* 23. Brunsvicensis ap. LEYSER *cit. spec.* 529. & ap. PVEFENDORF *obseruat.* 159. nec non Halstam apud ESTOR *cit.* l. § 116.

6) vid. *cit.* HOPP. BACHOV. *Vol. II. disp.* 29. *ib.* 2. *lit. C.* FRANTZK. *Exerc.* IX. PVEFENDORF. *de iur. Nat. & Gent.* L. V. *cap. 7.* §. 7. THOMAS. *ad Strauch. diss.* XIII. *ib.* 10. *in f.* Sunt tamen alii, qui re vera dissentiant & de eo etiam

casu



casu, vbi solutio in eodem monetæ genere fit, solutionis tempus obseruandum præcipiunt, e. g. LYNCKER *Decis.* 1286. vbi statuit Creditorem teneri acceptare Ducatos, in quibus mutuum datum fuerat, in pretio aucto tempore solutionis & RICHTER *Decis.* 72, n. 13, 14.

§. XII.

Hoc ergo pacto licet has duas partes ad concordiam, vti nobis videtur, adduxerimus, ita vt saltim adfirmare possimus nunc, plerosque ICTos si nempe sermo sit de nummis, qui in obligatione sunt, in eodem genere restituendis, in *tempus contractus* consentire, fateri tamen cogimur, rem ipsam per hoc certiolem, quaestionisque propositæ decisionem faciliorem effectam haud esse. Deprehendimus enim paucissimos in adplicatione huius principii conuenire. Vnde iam olim LEYSERVM 1) questum esse obseruamus: iustitiam & aequitatem regulæ, quod post mutationem monetæ in solutionibus tempus initi contractus spectandum sit, agnoscere plerosque, sæpe tamen in adplicatione infelices esse, eamque peruerissime adplicare. Idem obseruat TITIVS & exemplis summorum ICTorum monstrat quantum sæpe in adplicatione erratum sit 2). Vt ne vero nobis idem facile accidere possit, necesse erit ante omnia definire, quid nobis sit tempus contractus obseruare & quid sit tempus solutionis respicere.

1) in *specim.* 529. *metu.* 17.

2) in *Obseruat.* 317. quibus exemplis quisque alia multa, si vel paucos euoluat Auctores addere potest. Plures enim *valorem* monetæ, quæ in creditum deducta est, *externum*, confundunt cum *interno*. Et sic cum valor internus, qualis fuit tempore contractus spectandus fuisset, hi tempus contractus quidem obseruant, sed





sed habito respectu ad externum valorem, vid. MYSINGER *Centur. IV. observat. I in pr.*

§. XIII.

Ad *tempus Contractus* respicimus, quando solutio monetae quae debetur seu in obligatione est, fit secundum valorem internum vel externum, qualis fuerit tempore contractus, nulla habita ratione praesentis valoris aucti vel imminuti. Ad *tempus solutionis* vero respicitur, quando solutio monetae, quae in obligatione est, fit secundum valorem internum vel externum, qualis est praesenti tempore, non attento, quod tempore contractus fuit vel auctior vel imminutor 1).

1) conf. FRANTZKIVS *Exerc. IX. quaest. 2, num. 31. seq.*

§. XIV.

*NB.* Adplicemus nunc regulam ad casus §. 10. propositos. *Primus* est, si valor internus accreuit manente externo, e. g. vel pondus augeatur vel melior materia sumitur. Si iuxta §. *praeced.* solutio fieri debet iuxta valorem internum, quem moneta, quae in obligatione est, habuit tempore contractus, necesse est, ut debitorem liberari dicamus, si tanto minus soluit, quanto moneta in qua soluit, melior est illa, quam accepit. Ponamus, Titium nunc 100 thaleros in ternionibus hodiernis ( $\frac{1}{2}$ tl) accipere mutuo, ponamus evenisse felix illud & exoptatum pacis tempus, quo terniones probiores & quoad internum valorem meliores ferri haud temere speramus. Si solutionem fortis Titius in talibus probioribus ternionibus facere debet, tanto minus soluet, & si e. g. tertia parte meliores essent, non tot numero reddere adigendus erit, quot summam 100 thalorum conficiunt, sed quot  $66\frac{2}{3}$  thalorum, duntaxat faci-





faciunt. Nam tunc tantundem restituit in eadem bonitate r). At inquis, Debitor hoc pacto minus restituit, quam accepit! si rem recte consideras, nec nummi bonitatem ex solo valore externo metiris, negari hoc debet, propter pretia rerum ob probiorem monetam deminuta (§. 4.) Nunc enim 66 $\frac{2}{3}$  thaleri tantam potestatem habebunt in commerciis, quantam olim 100 habebant. Nummus autem rerum comparandarum gratia inuentus est, & tanti habetur, quantum pro eo parari potest.

- 1) consentit nobiscum quoad hunc casum WISSENBACH *Disput.* XXXII. n. 10.  
FRANTZK. *civ. l. num.* 40. RICHTER *Deif.* 72. n. 15. HOPP, *ad pr.* I. quib.  
*mod. re contrab oblig.*

#### §. XV.

*Alter casus est, si valor internus decrevit, eodem manente externo e, g. retenta eadem materia pondus minutum est, vel retento pondere materia vilior adhibita est, & numi aerosiores facti sunt. Si solutio facienda vi regulae §. 13. secundum valorem internum, qui fuit tempore contractus, necesse est, vt Debitor tanto plus soluat, quanto moneta noua, in qua soluit veteri quam accepit, deterior est. Propone Titium terniones secundum normam monetariam Lipsiensem cuos mutuo accepisse; iam fors soluenda est. Quis sibi persuadeat Titium liberari restituendo terniones vt nunc in vsu sunt? Magis erit, vt dicamus, Titium aut terniones eiusdem bonitatis intrinsecae reddere debere, aut si solutio in hodiernis, qui illis, quos accepit, longe deteriores sunt, fieri debet, eum teneri tot terniones hodiernos plures solvere, quot sufficiunt ad supplendum valorem internum ternionum, qualis erat tempore contractus*



tractus. Hi duo casus ergo pertinent ad *mutationem monetae intrinse-*  
*cam*, ut aiunt, & ex haecenus dictis intelligitur, verum esse, quod vulgo  
 dicunt, hanc mutationem *debitoris* vel commodo vel incommodo & dam-  
 no cedere. Verum praestaret ab hac locutione abstinere, quae ob id  
 incommoda videtur, quia de lucro vel damno plane non agitur, sed id  
 duntaxat agitur, ut Creditor suum, quod dedit, non plus vel minus reci-  
 piat, debitor vero id, quod accepit, non plus vel minus restituat.

1) consentit nobiscum quoad hunc casum WISSENBACH *cit. l. & HOPP cit. l. PVE.*  
 FENDORFF *cit. l. L. V. 6. 7. §. 6. RICHTER Decif. 72. n. 51.*

§. XVI.

*Tertius* casus est, si valor externus crevit, eodem manente in-  
 terno. Fere semper hoc accidit, quando bonitas intrinseca moneta-  
 rum inferiorum, ad quas grossior moneta solet aestimari, in deterius mu-  
 tatur. Tunc enim vetus proportio inter maiorem & minorem mone-  
 tam obtinens perit, & nova introducitur. Cogitantem de tali casu  
 ipsa recta ratio in eam ducit sententiam, ut existimare necesse habeat,  
 Debitorem idem monetae genus in eodem valore externo (interni, cum  
 ex supposito idem maneat, rationem nullam hic haberi necesse est) quo tem-  
 pore contractus fuit, minime vero in quo nunc est, reddere teneri (§. 13.).  
 Ponamus Titium ante aliquot annos numos aureos, quos Carolinos voca-  
 mus, mutuo sumfisse, cum singuli 6 thal. 16 grossis valerent. Quodsi  
 nunc ubi singuli pro 10 thaleris impenduntur, reddendi sunt, Debitor non  
 liberabitur, nisi singulos pro 6 thal. 16 gross. reddat. Nam aliter non  
 redderet in eadem bonitate 1). Neque credendum est, in tali casu Cre-  
 ditorem lucrum sentire; Nullum enim sentit, si consideres, cum aucto  
 valore externo simul & rerum pretia crevisse. (§. 4.). Non itaque plus  
 hodie



hodie Creditor pro vno Carolino, cum 10 thaleris valet, parare potest, quam olim Debitor, cum 6 thaleris 16 gross. valeret. Sine dubio itaque gravissime laederetur Creditor, si eum cogeres Carolinos in praesenti valore aucto accipere. Cuius rei iniquitas manifestissime in oculos incurrit, si numeres ipsa nummorum mutuo datorum corpora. Finge enim 1000 thaleros in Ducatis creditos esse, eo tempore quo vnus Ducatus 3 thaleris valuit, consequenter Debitor 333  $\frac{1}{3}$  Ducatos in specie acceperit necessesse est. Tot enim faciunt summam 1000 thalerorum. Finge sortem hanc nunc vbi vnus Ducatus 5. thaleris valet, restitui. Si tempus praesens in solutione facienda attendere velles, sufficeret, si Debitor 200. Ducatos in specie restitueret. Nam tot iuxta praesentem valorem faciunt 1000. thalerorum summam. Quis non videt debitorem hoc pacto minus restituere, quam accepit, & 134. Ducatos lucrari. An iniquius cum Creditore agi potest?

1) Consentiant quoad hunc casum CARPZOV. P. II. *conf.* 28. *def.* 7, & MOD. PL. STOR *Vol.* II, *Consil.* 27. GAIL L. II, *Obs.* 73. n. 3. & 9.

#### §. XVII.

*Quartus* & vltimus casus est, si valor externus decrevit, eodem manente interno (§. 10.). Accidit hoc vulgo, si *vel* moneta publico Edicto infra antiquum valorem ponitur, & eius externus valor ad rationem interni Legibus monetariis conuenienter exactius redigitur; *vel* monetae inferiores quoad internum valorem probiores cuduntur, & per hoc maioris monetae valor externus minuitur.

In vtroque ca-  
su tempus contractus attendi debere aequitas postulat, & consequenter solutio monetae debitae in eodem valore externo (nam interni, quia

¶

idem



idem manet ex supposito, rationem haberi necesse non est) facienda est, in quo fuit tempore mutui dati (§. 13.). Sumamus ergo te credidisse Titio terniones cum plene adhuc 8. grossis valerent. Si post reductionem fortem Titius tibi reddit, liberari eum dicendum est, si eiusdem generis terniones, & singulos pro 8. grossis computatos tibi restituat. Idem valet, si sumas mutuuum in hodiernis ternionibus consistere, & hos tempore solutionis ad 6 grossos reductos esse fingas. Vel ut exemplum etiam posterioris generis addamus, ponamus, te Titio 1000 thaleris in Carolinis mutuo dedisse, teque singulos debitori pro 10 thaleris, quem quippe valorem iam eos habere inter omnes constat, adnumerasse. Iam porrò ponamus valorem Carolinorum ad 7. thaleros vsque decreuisse. Tamen affirmandum putamus debitorem posse singulos tibi pro 10 thaleris computatos reddere. Quodsi enim aliter calculum inire velles, debitor manifesto laederetur & plus redderet, quam accepit. Numeres corpora ipsa numerorum mutuo datorum, & nullo negotio haec, vera esse perspicias. Ut enim exemplum modo datum retineamus, sine probatione patet Titium debitorem 100 Carolinos in specie accepisse, nam tot summam 1000 thalerorum conficiunt; iam si singulos recipere ab eo velles pro 7 thaleris solummodo computatos, postulares tibi restitui 142  $\frac{2}{3}$  Carolinos in specie. Id quod an non sit plus petere, quam dedisti, & annon aperte iniquum sit, ipse iudices. Frustra obiicies, te eandem, quam dedisti aestimationem & sic non plus recipere, cum mille thaleri sint mille thaleri, siue 100. Carolini, siue 142. summam conficiant. Nam falso hoc adferi supra (§. 4.) iam dicere occupauimus. Si enim omnium eandem bonitatem internam supponas, plus utique 142. quam 100. Carolinis parari potest. r).  
Vnd-

*Ms.*



Vnde ad stipulari non possumus LEYSERO 2) statuenti, debitorem, qui reprobos nummos tunc cum illi publice valerent, accepit, & tanquam probos expendit, eosdem, si postea infra antiquum valorem ponantur, restituere secundum tempus contractus non posse. Equidem ille in huius adfert probationem citat *l. 24. §. 1. π. de pign. act.* sed haec lex hunc casum non supponit, sed talem potius, ubi nummi mutuo dati in totum & in perpetuum reprobantur (de quo nos *§. seq.* agimus) non vero ubi solum eorum valor minuitur. Haec de *mutatione monetarum*, vt aiunt, *extrinseca*, ad quam hi duo casus, quos modo definiuimus, pertinent. Ex dictis his simul patet, verum esse, quod vulgo dicunt valorem externum, nec imminutum debitori nocere, nec auctum prodesse, sed hanc mutationem totam *Creditoris* vel commodo vel incommodo cedere. Circa quam locutionem tamen ea, quae sub finem *§. 15.* monuimus repetita volumus.

1), de hoc nostro casu loquentes accipio BERGER. *resolnt. Lauterbach p. 171.* in f. & in *Oeconom. iur. l. III. tit. 2. §. 4. not. b.* LAVTERBACH *Colleg. tit. de Reb. Cred. §. 33* consentit quoque aperte nobiscum COCCEJ. *cit. dissert. §. 15.* & SCHOEPE. in *Consil. Nob. Tubing. Vol. III. cons. 45. n. 35.* & LAVTERBACH, *Vol. II. Consil. Nob. Tub. consil. 22.*

2), in *Specim. 529. mid. 18.*

### §. XVIII.

Sed quid dicamus de eo casu, ubi moneta mutuo data *in totum* reprobata est, an tunc etiam debitorem liberari dicemus reddendo talem monetam? minime. Reprobata enim publice pecunia sub nomine monetarum non amplius continetur nec est digna, vt moneta nominetur.



netur. Vetat quoque hoc expressis verbis *l. 24. §. 1. de pigner. acti*. Debitor itaque nouos & probatos nummos soluere debet, ita tamen, vt solutio ad rationem monetae acceptae & nunc edicto sublatae redigatur, totque noui nummi soluantur, quot illius bonitatem internam aequant 1). Sua sponte vero patet, haec quae diximus locum duntaxat habere posse, vbi ex obligationis Instrumento constat, in quo monetae genere mutui datio facta sit. Si enim de hoc non constaret, & mutuum, e, g, in *moneta corrente*, vt aiunt, datum esset, & dein aliquot species monetae currentis reprobatae essent, debitor postulare non poterit, vt ad harum reprobatarum specierum aestimationem solutio facienda ipsi permittatur. Nam probare primo deberet, has praecise species, quae nunc reprobatae sunt, olim mutuo datas esse & deinde, si hoc etiam probauerit, scimus tamen vnam alteramque speciem nummorum minorum, qui monetam currentem constituunt, etsi iusto aerosior sit, pretia rerum tamen non mutare. Paucissimi enim illius vitium internum cognoscunt. Cum itaque debitor tales species accipiendo, & vt probas eas expendendo, non coactus fuerit carius res emere, & proin ratio cesset, ob quam inter alia ad tempus contractus & monetae bonitatem intrinsecam respiciendum esse diximus, iniquum non erit, eum adigere, vt alias probas monetas restituat. Quoad hunc casum itaque, vbi moneta currentis in obligatione est, adsentimur LEYSERO 2) distinguenti intermutationem monetae *vniversalem & particularem* & in illa duntaxat tempus initii contractus obseruandum praecipienti. Plane praecidium, quod Meditationi subiecit, de hoc ipsissimo casu conceptum est. His consequenter dicendum foret, debitorem, qui hoc nostro tempore, quo omnes species, quibus vtimur, minus probae sunt, in moneta corrente mutuum sum-

sit.



fit, quia sine dubio post pacem reductam vniuersalis deualuatio fiet, & in aliquibus locis iam facta est, debitorem talem, inquam, si dein in probioribus nummis illud restituit, tantam quantitatem solum restituere teneri, quanta respondet valori interno nummorum, quos accepit, e, g, si 100. accepit, & nummi, in quibus soluit, pro dimidia parte meliores sunt, 50 solum restituet.

1) consentione nobiscum quoad hunc casum STRUV. *Exerc. XVI. § 30.* BERLICH *p. II. c. 35. n. 23 & 28.* CARPZOV. *II. c. 28. def. 3.* GOSWIN *ab ES-BACH ad CARPZOV. II. c. 28. def. 3.* HARTM. PISTOR. *obserd. 141. n. 1-4.* RICHTER *Decis. 72. n. 19.*

2) in *Specim. 529. med. 18.*

### §. XIX.

Ex haftenus deductis, nobis vel non monentibus, facile intelligitur, caput disputationis de proposita quaestione & summam huc redire, vtrum statuas in obligatione numorum solius potestatis & valoris externi rationem haberi oportere, an vero qualitatem pecuniae, ipsa corpora, & valorem internum spectandum esse adferas. Si enim prius admittis, sua sponte consequetur, eum qui pro obryzatis numis contaminatos reddit, liberari, nec talem aliud pro alio, sed plane idem pro eodem reddere intelligi. Eiusdem enim aestimationis est, atque tantundem valet nunc contaminatus, quantum antea obryzatus. Porro inde consequetur, eum, qui centum aureos accepit, si eorum valor decreuit, minus quam acceperat, reddere, si centum duntaxat reddat, & vice versa Creditorem tot aureos petentem, quot crediderat, si eorum valor



valor adcreuit, plus quam crediderit petere. Sin *posterius* statuas, alia omnia inde consequentur, & res ita, vti in §. *anteced.* eam definiuimus, componenda erit. Sicuti vero priorem sententiam illam ab vnoquoque, qui has modo memoratas consequentias aequitati aduersas perpendet, facite repudiatum iri credimus: ita posteriorem sententiam, quam & nos hic secuti sumus, & aequitate sua, & rationibus quibus innititur, plurimis sese adprobaturam esse confidimus.

§. XX:

Satisfactum nunc pro instituto putamus quaestioni propositae; restat, vt id agamus, cuius causâ hoc quidquid est scriptio- nis suscepimus. Nempe factum est diuina hoc ita adgubernante prouidentia, vt Eminentissimus atque Celsissimus Princeps ac Dominus, Dominus **JOANNES FRI-  
DERICVS CAROLVS**, S. Sedis Moguntinae Archiepiscopus, S. R. I. per Germaniam Archi-Cancel- larius, & Princeps Elector, nec non Episcopus Wor- matiensis &c. &c. Princeps ac Dominus meus longe Clementissimus mihi *Professoris iuris Extraordinarii* in hac perantiqua Electorali Vniuersitate Erfordien- si munus & dignitatem clementissime decerneret, pro qua singulari in me collata clementia  
pu-





publice nunc gratias deuotissimas ago, eiusque memoriam in gratissimo & deuotissimo pectore nunquam intercidere sinam. Seruet diuissime Deus T. O. M. tantum Principem promouendis bonis litteris & scientiis natum, & nostrae quoque Vniuersitati pristinum splendorem restituendo intentissimum!


Reliquum est, vt Vos etiam compellem Commilitones atque LL. Cultores ornatissimi. Muneris enim mihi demandati ratio exposcit, vt qui adhuc priuatis & priuatissimis recitationibus Vobis prodesse studui; nunc publicis etiam lectionibus idem facere pergam, viamque ad legitimam scientiam, quantum in me situm est, Vobis communiam. Constitui itaque per hoc semestre aestiuum *Textum Institutionum* IMP. IVSTINIANI in Vestrorum gratiam *publice* praelegere. In qua explicatione ita versabor, vt non solum ipsum textum & incidentia saepe difficilia loca dilucide explanem, eiusque rationes ex Historia & Antiquitatibus depromptas diligenter adferam, sed & in fine cuiusque tituli, vel vbi alias commodior se offeret locus, vsum hodiernum materiarum explicatarum sedulo commonstrem, & ex principiis domesticis illustrem. Tempus, quo has praelectiones inchoaturus sum, in proxime edendo Catalogo publico Lectionum Academ. indicabo. In *priuatis* vero lectionibus

KOP-





KOPPII *Historiam iuris Ciuilis Rom. & Germ. priuati nec' non KO-*  
 CHII *Institutiones iuris Criminalis* explicabo. In aliis quoque Iu-  
 risprudentiae partibus meam operam poscentibus non deero.  
 Concurrere ergo alacri animo LL. Cultores suauiffimi, & Vestro  
 fauore, assiduitate & frequentia meum Vestris inferuendi com-  
 modis studium accendite. Tandem quoque supremum Nu-  
 men, vt hanc bonarum artium perantiquam officinam in sui no-  
 minis gloriam, & Reipubl. salutem porro seruet, ac perpetuo flo-  
 rere iubeat, & tam docentium quam discentium conatibus be-  
 nedicat, mecum pie comprecamini. Dabam Erfordiae d. 15.  
 Mart. M DCC LXI.



Errata extantiora.

- §. V. pag. 2. lin. 12. pro: *qui aperte lege: quae aperte.*  
 §. VII. pag. 15. lin. 12. pro: *dimentienda lege: dimetienda.*  
 §. XVI. pag. 24. lin. 22 pro: *16 thal. 16 gr. lege: 6 thal. 16 gr.*



ERFUERT, Diss., 1767/67

SS.

ULB Halle  
004 995 333


3



VD18







B.I.G.

Farbkarte #13


Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

760

No: 70  
3

DE EO 1761, 2a

QVOD IVSTVM EST IN RED-  
DENDO MVTVO IN CASV SI  
MONETAE MVTATIO MEDIO TEM-  
PORE FACTA EST



PROLVSIO AVSPICALIS



RECITATIONIBVS SVIS TAM PVBLICIS QVAM PRIVATIS  
VI-MVNERIS DEMANDATI PER INSTANS SEME-  
STRE AESTIVVM HABENDIS  
PRAEMISSA



CHRISTIAN. FRID. IMMAN. SCHORCH

IVR. VTR. DOCTORE ET PROFESSORE PVBL. EXTRAORD. NEC  
NON ELECTORAL. MOGVNT. ACADEMIAE SCIEN-  
TIAR. VTIL. SOCIO ORDINARIO.



ERFORDIAE, TYPIS HERINGIANIS, ACAD. TYPOGR.

